

corporea incorporea, & è conuerso. Præterea dixerunt, quòd omne corpus dissoluitur cū spiritu, cui mixtum est, & proculdubiò similiter fit spirituale: & omnis spiritus à corporibus alteratur & coloratur, cui spirituī color tingens, ac contra ignem constans miscetur. Benedictū ergo sit nomē eius, qui Sapientibus inspirauit corpus in spiritum vertere, vim & colorem habentē inalterabilem & incorruptibilem: & quod priùs erat Sulphur fugiens, nunc factum est Sulphur non fugiens & incombustibile. Scitote insuper doctrinæ filij, quòd qui potest spiritum fugientem rubeum facere corpore sibi coniuncto: deinde ex illo corpore & spiritu suam tenuē naturam in suo ventre occultam extrahere ingenio subtili, opus inuenit. Et notate, quòd prolixitate coquendi tingit corpus. & hoc dixerunt Philosophi, quòd rebus fortiter contritis, & igne diligenter coctis, fiunt tinturæ fixæ: & quicquid libris suis occultè narrauerunt, argentum viuum significare voluerunt, quod aliquando dicitur aqua sulphuris, aliquando plumbū, aliquando etiam numus.

XIMIDIVS inquit: Iam tractasti Morfolee, de æris & spiritus humidi regimine, & optimè quidem. Sed maximum est arcanum, quod Philosophi dicunt: Aes non tingit, cùm tamen tingitur, tingit: eò quòd argentum viuum, cùm suæ miscetur tinturæ, tingit. Cùm verò miscetur his rebus, tinturæ Philosophorum, res fermentatæ, mixta corpora, Corsuflæ, & colla auri, venenum, maris splendor, Ethelia, auripigmentum, & randerich tintura vocatur. Quæ tot nomina vana esse putantur & superflua, vera tamen sunt, non autem conficta, eò quòd vnum sunt, vna opinio, & vnum inter: hoc est, argentum viuum, quod est quidem ex omnibus extractum, ex quo omnia fiunt, qui & est aqua munda, quæ ymbra mæris delet. Et scitote, quòd hoc argentum viuum, cùm dealbatur, fit sulphur, quod à fuga detinetur, & assimilatur marmoris splendori. Et arcanum quidem hoc est maximum: quia solum sulphur æs dealbat.

Intimandum est etiā vobis, huius artis inuestigatores, quòd illud sulphur nō potuit æs dealbare, quo usq;